

DOCUMENT: L 66 a

SOURCE: Literae Cantuarienses: The Letter Books of the Monastery Christ Church, Canterbury ed. J Brigstocke Sheppard (HMSO) 1887 Vol. 2 P. 133. Letter 603 / Alt. ref. L 66 a

LANGUAGE: Latin

SUMMARY of a convoluted letter

3 October 1336

The Prior asks Walter de Lappeflode, the son of the recently deceased resident agent of the Convent at Docombe in Devonshire, Henry de Lappeflode (praised for his *'efficient diligence'*), to give him information about the state of the manor, coming to Canterbury, if possible for the purpose.

LATIN TEXT

In Christo salutem. Amice, nos ex relatu fidedignorum intelleximus, quod Henricus de Lappesflode, pater vester, qui pro nobis et nostris multum, cum diligentia efficaci, per seipsum ac etiam alios, sui gratia, fideliter, laboravit, viam universe carnis, ad quam nos cotidie tendimus, est ingressus; eujus anime propitiatur Ille cui est proprium misereri. Et quia vos prefatum Henricum, pro nostris temporalibus laborantem apud Dockombc, vestri gratia, specialiter supportastis, vobis confidentius scribimus ista vice, ex affectu non modico vos rogantes, quatinus de bonis nostris predictis, ac de eorundem statu, quorum plenam notitiam dictus pater vester dum vixit habuit et vos, ut supponimus, habetis, velitis viva voce vestra nobis referre in brevi, quameitius poteritis, bona nova. Et si ad nos commode aecedere non possitis personaliter, quod nollemus, tunc, si placet, super custodia dictorum bonorum nostrorum id quod vobis videtur esse melius faciendum, citra, festum Omnium Sanctorum proxime futurum, nos per vestras litteras informetis; scientes, quod sine vestra presentia corporali, vel informatione quam appetimus literali, non intendimus de hujusmodi bonis nostris, vel eorum custodia, aliquid extraneum ordinare. Et quando ad nos accedetis, prout prius desideramus, seu mittetis, sic, si placet, ordinetis, quod debitum quodcunque ad nostram Ecclesiam, ratione dictorum bonorum nostrorum, pertinens, citra dictum festum vel ad tardius in eodem, totaliter habeamus. Et si pro

nobis tantum volueritis laborare, nos sic de vestro labore cogitabimus, Deo dante, quod vobis nostra cogitatio, ut speramus utilis apparebit. Valetate in vero Salutari, et valeant qui vos desiderant intueri. Scriptum Cantuarie iijo die Octobris sub nostro sigillo privato.